



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

XX. De simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

712 EUGENIVS FRIDERICVS. III.
P. IV. CÖNCILIVM IMP.
per subtractionem sacramentorum , extra tamen ANNO
necessitatis articulum cogere non postponant. CHRISTI
1440.

X X.

Districte præcipiendo interdicimus , ne quis-
quam sacerdotum pro reconciliatione pœnitent-
tium , aut pro administratione alicuius sacramenti ,
vel aliquorum sacramentalium , paciscatur de sibi
danda pecunia, nec aliquo alio æquivalenti pro ea-
dem. Sed volumus dispositis absque dilatione pro
tempore & loco congruis administrari & exhiberi
secundum ritum ecclesiæ verum , quod rationis &
iuris explorati existit, quod socii passionum sint pa-
riter , & socii consolationum , permittimus expost
exigi etiam cum imploratione officii iudicis quan-
titatem in talibus consuetudine debitam , ad quam
laicos hortamur , & quantum de iure est astringi-
mus & compelli volumus.

Item inhibemus sub pœna priuationis officii ,
ne aliquis sacerdotum quemquam notorie delin-
quentem accepta pecunia vel alio commodo tem-
porali pœna condigna corrigere prætermittat.

Item interdicimus & districte inhibemus , ne
quisquam clericorum , cuiuscumque status fuerit ,
censum dealiquo beneficio , aut pecuniam vel emol-
lumentum aliud , ex pacto quocumque nomine an-
ticipandæ pensionis , vel alio quocumque quæsto
colore , augeat , vel quemquam augere compellat .
Contra facientes , tam dantes quam recipientes , du-
plum quam dederint vel receperint nobis irremissi-
biliter soluere teneantur , nihilo minus iuxta arbi-
trium nostrum aut vicarii nostri arctius punientur.

Item



ANNO
CHRISTI
1440.

Item volumus statutum Concilii generalis Constantiensis & constitutionem de simonia editam publicari, ut in fine: quoniam contra transgressores eiusdem districtus, Deo dante, procedemus. Cuius statuti tenor sequitur per omnia in hæc verba:

Martinus, &c.

MVLTÆ contra simoniacam prauitatem abolim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit extirpari. Nos volentes de cetero, ut possumus, attenius prouidere, sacro approbante Concilio, decernimus quod ordinati simoniace ab executione suorum ordinum sint eo ipso suspensi: electiones autem, postulationes, confirmationes, & quævis prouisiones simoniacæ ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personatum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque deinceps factæ, nullæ sint ipso iure, nullumque per illos ius cuiquam acquiratur, nec promoti, confirmati aut prouisi faciant fructus suos; sed ad illorum restitutionem, tamquam inique ablatorum percipientes, teneantur. Statuimus insuper quod dantes & recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurant, etiamsi pontificali aut cardinalatus præfulgeant dignitate.

XXI.

Quamvis Iudæi, qui sanguinis Christi vindictam in se receperunt, vbi seruire Christianis, aut se laboribus nutrire parati sunt, benignitate ecclesiæ misericorditer tolerentur; ipsi tamen gratia sancta & tolerantia non contenti, orthodoxorum religionis Christianæ facultates usurpis exauriunt, laqueos offensionis ingerunt, & petram scandali; in qua defensione & adiutorio aliquorum culpabilium laicorum detestabilius fouentur.

Hinc statuimus districte præcipiendo, quod Iudæi in nostra diœcesi non permittantur fenerari,

Concil. Tom. 33.

XXXX